

opusdei.org

# **Curriculum vitae del Fundador del Opus Dei, enviado por el Obispo de MadridAlcalá a la Santa Sede; 28-VIII-1943.-**

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

12/01/2012

*AGP, Sezione Giuridica, 111/15081.*

OBISPADO DE MADRID-ALCALA

REV. DUS DOMINUS JOSEPH MARIA  
ESCRIVA DE BALAGUER Y ALBAS,  
RECTOR REGII PATRONA TUS A  
SANCTA ELISABETH, MATRITI  
CONSTITUTI.

Aragoniae in Barbastrensi civitate  
natus die 9 ianuarii anni 1902, cuius  
Joseph Escrivá de Balaguer Corzán et  
Maria a Virgine Perdolente Albás y  
Blanc parentes exstiterunt..

### **1) STUDIA**

Academicos gradus prolithae ac  
laurea Iuris Civilis apud  
Caesaraugustanam ac Matritensem  
Studiorum Universitates obtinuit,  
Summa cum laude lauream  
consecutus.

In Pontificia Universitate  
Caesaraugustana, tunc existenti,

integros quinque Sacrae Theologiae curriculum, maximis obtentis qualificationibus, perfecit.

Nondum sacerdos sed per primam tantum tonsuram inter clericos cooptatus, ab Em.mo Cardinali Soldevila, Moderator Seminarii a Sancto Francisco de Paula renunciatus est.

## **2) APOSTOLATUS**

### **a) Pauperes**

Ut dissertationem ad lauream pararet, anno 1927, Matritum perrexit. Atque, sacerdotali ministerio assidue deditus, scientificis laboribus non obstantibus, ibi ab anno 1927 ad annum usque 1931 opus apostolicum exercuit inter pueros pauperes ac aegrotos egenos, quos domibus suis per miserrima civitatis suburbia quotidie invisebat.

Dein, cum operis apud Universitatis studiosos magnitudo ut illud activitatis sacerdotalis genus relinqueret, Rev.mo Episcopo approbante, coégerit, non praetermisit quin singulis dominicis aegrotos pauperes in Generali Valetudinario visitaret.

## **b) Universitaria**

Mense octobri anni 1928, de consensu Rev.mi Antistitis Matritensis-Complutensis, assidua oratione ac iugi poenitentia comitantibus, intensum ac firmum laborem formationis apostolicae inter iuvenes Universitatis auditores atque Specialium Superiorumque Scholarum alumnos, interioris vitae et professionalis perfectionis cultu mediante, evolvere incepit. Quod quidem opus tacitum, in directum profundum validissimumque Ecclesiae servitium ordinatum, et ab initiis a plurimis Episcopis toto ex

corde benedictum . A plurium urbium Universitatum professoribus et alumnis crebro ad exercitia spiritualia dirigenda sive spiritualis secessus dies ordinandos vocatur: notatu dignum est opus apud Universitatem Aestivam Iacensem (Caesaraugustanam, Universitatem Status) suis conferentiis nuper peractum. Ut huc labor erga Universitatis studiosos facilius redderetur ab Apostolica Sede, rescripto diei 20 augusti 1940, privilegium Altaris Portatilis concessum fuit.

Vir quidem qui problema Hispanae Universitatis penitus perspectum habet, dum Consilium Nationale Educationis constitueretur, Consiliarius Nationalis cooptatus est, unicus sacerdos cleri saecularis qui, una cum tribus Rev.mis Episcopis paucisque religiosis, ad praefatum Consilium pertinet.

Mense novembri anni 1940 Magister Ethicae ac Moralis professionalis Scholae Periodismi (Schole Officialis Status) designatus fuit.

### **c) Spiritualis moderado**

Multis praestantissimis personis, Actionis Catholicae dirigentibus aliarumque nationalium activitatum catholicarum ac culturalium moderatoribus, Universitatis magistris et alumniis, sacerdotibus immo et religiosis a spitualibus moderator exstat, quippe cui omnes assidue accedunt propterea quod eum virum dono consilii praeditum habent.

Exercitia atque spiritualis secessus dies Actionis Catholicae iuvenibus ac puellis saepe etiam moderavit: Caesaraugustae, Valentiae, Ilerdae, Vallisoleti, Legione, Abulae, Matriti, etc. Valentiae, janoario 1941, Conventus Assistentium

Ecclesiasticorum A.C. Spiritualis  
Moderator munere functus est.

Laborem moderatoris animarum  
non intermisit neque Opus Dei, ipso  
dirigente, ciara agere desivit,  
tempore dominationis marxistae  
(durante bello Hispaniae, 1936-1939),  
sub qua cum ipse tum suj discipuli  
acerbam passi sunt persecutionem.  
Cum autem in regionem regimini  
nationali subiectam audacter  
pervenire obtinuisset, vel per se vel  
per Opus suum animum erigere et  
auxilium afferre patienti seu  
praelianti studiosae iuventuti  
consecutus est. Quot itinera hinc inde  
per diversa praelü castra, febris saepe  
corresptus, ut spirituale Patris  
munus perageret, confecit!

#### **d) Exercitia spiritualia**

Alter indefessi apostolatus aspectus  
exstat labor a plurimis iam annis  
peractus, quo, Rev.mis Episcopis et  
Religiosorum Institutorum

Superioribus postulantibus, multas exercitiorum spiritualium series sacerdotibus et religiosis moderavit. Quod etiam opus praestavit plurimum Seminariorum alumnis. Hoc nempe ministerium apud dioeceses Legionensem, Abulensem, Segoviensem, Victoriensem, Pampilonensem, Matritensem-Complutensem, Valentinam, Ilerdensem, etc., nuper exercuit. Anno 1940 durante supra mille sacerdotes diversarum dioecesium apud eum exercitiis spiritualibus vacavere, inter quos et ipsi Rev.mi locorum Ordinarii nonnumquam interfuerunt.

### **3) DE EO EIUSQUE MINISTERIO IUDICIUM**

Ipsius characteris insignes sunt animi vis necnon organizationis et gubernii dotes. Occulte ac sine strepitu transire; Ecclesiasticae Hierarchiae obsequentissimum se



praebere: amorem erga Sanctam Matrem Ecclesiam atque Romanum Pontificem palam et privatim, verbo et scripto fovere sacerdotalis eius laboris peculiarissimum est sigillum.

Rev.mus Ordinarius Dioeceseos litteris 24 maii 1941 ad Rev.mum P. Abbatem Monasterii Montis Serrati, O.S.B., ita suam de P. Escrivá de Balaguer opinionem exprimebat:

"Dr. Escrivá exemplum sacerdotum est, a Deo in multarum animarum sanctificationem electus, humilis, prudens, abnegatus, Antistiti suo summe docilis, praeclari intellectus, firmissimae doctrinalis et spiritualis formationis, zelo ardentissimus, studiosae iuventutis christianae informandae apostolus, nihil aliud intendens nisi ad Patriae utilitatem et Ecclesiae servitium ac munimen professionalium phalangem disponere, qui etiam in mundo commorantes, non tantum sancte

vitam agant sed etiam apostolico labori indulgeant".

#### **4) PUBLICATIONES**

Edidit:

*Consideraciones espirituales* (Concae, 1934). *Santo Rosario* (Matriti, 1935).

*Estudio histórico-canónico de la jurisdicción eclesiástica "nullius dioecesis" de la Il.ma. Sra. Abadesa del Monasterio de Santa María La Real de las Huelgas* (Burgis, 1938).

*Camino* (Valentiae, 1939).

Operum "Santo Rosario" et "Camino" duae editiones iam prodidere, immo et tertia paratur opusculi "Santo Rosario".

Matriti, die 28 mense augusto, anno 1943.

+ CASIMIRUS, Ep.us Aux.

Vic. G.ralis

A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

---

pdf | Documento generado  
automáticamente desde [https://  
opusdei.org/es-es/article/curriculum-  
vitae-del-fundador-del-opus-dei-  
enviado-por-el-obispo-de-madridalcala-  
a-la-santa-sede-28-viii-1943/](https://opusdei.org/es-es/article/curriculum-vitae-del-fundador-del-opus-dei-enviado-por-el-obispo-de-madridalcala-a-la-santa-sede-28-viii-1943/)  
(22/06/2025)